





18

DISSESSATIO IN AVGURALIS MEDICA  
DE  
**RHACHITIDE**

Bon der  
**Englischen Freyheit**

QVAM  
AVSPICE DEO PROPITIO  
ET CONSENSV ATQVE AVCTORATATE GRATIOSÆ  
FACULTATIS MEDICÆ  
*IN ALMA REGIA FRIDERICIANA*

PRÆSIDE  
**DN. D. JOANNE JVNCKERO**

PROFESSORE MED. PVBL. ORDINARIO  
DOMINO PRÆCEPTORE ET PATRONO AETERNUM COLENDO  
**PRO GRADV DOCTORIS**  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

H. L. C.

Anno MDCCXXXIX. d. Octobr.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORVM VENTILATIONI SVBIICIT  
AVCTOR RESPONDENS

**HERMANNVS HENRICVS OVERBECK**  
ALTEA - WESTPHALVS.

~~HALAE MAGDEBURGICÆ,~~  
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

# DEO SVMMO PATRONIS FAVTORIBVS

ET

# AMICIS

ОДА

MONTGOMERY

三

D. D.  
AVCTOR.



## PRÆFATIO.

Hachitidis morbum alii quidem novum esse & ab hinc octoginta circiter annos in occidentalibus Angliae regionibus primam originem cepisse putant; alii autem in contrariam sententiam abeunt, & novum tantum *nomen*, ipsum vero morbum adeo antiquum esse perhibent, ut iam HIPPOCRATES illius signa & symptomata accurate descripscerit. Ad priorem classem imprimis pertinent GLISSONIVS & MAIOVIVS, quorum ille primus fuit, qui de rhachitide peculia-

A 2

rem

4

rem tractatum edidit , & illius singularem indo-  
lem ac fiendi modum per demonstrationes ma-  
thematicas explicare operose conatus est ; hic  
autem illius opinionem pro commento ingenio-  
so declarans, aliam ætiologiam, licet re ipsa pa-  
rum differentem, in medium produxit. Ad po-  
steriorem ordinem referendi sunt HECQVETVS,  
SPONIVS aliquie , qui loca quædam Hippo-  
CRATIS ad sententiam suam defendendam alle-  
gant. Præcipue etiam Excell. HEISTERVS hunc  
morbum pro antiquo habet, & non sine simili-  
tudine veri coniicit, rhachiticos fuisse infantes il-  
los, quos prioribus seculis superstitionis *suppositi-*  
*tios*, die *Vechsel*. *Bålge* appellaverint. *Vid. Annal.*  
*Acad. Jul. semestr. X. §. 33.* Ex quoconque autem  
tempore huius morbi originem ducamus, certis-  
simum est, Autores fere omnes, qui de eo scri-  
pserunt, uno veluti ore tales causas in medium  
proferre, quæ cum vulgari systemate patholo-  
gico, scilicet cum affectione & obstructione  
nervorum, apprime convenient; de quibus au-  
tem, æque ac de aliis, ex hoc fonte derivatis  
morborum rationibus, nonnulli iam dubitant  
recentiorum. Sic Excell. PRÆSES dubia sua de  
rhachi-

rhachitidis vulgari ætiologia in *Consپ. Patholog.* p. 130-132. proposuit, atque ex alis rationibus hunc morbum derivavit. Quæ generaliora problema uti veritatis speciem præ se ferre & ulteriori evolutione digna videntur: ita commoda mihi visa sunt, ut hanc materiam pro Dissertationis inauguralis themate elegerim. Tribus autem Capitibus eandem explicandam mihi proposui: Primo quidem capite historiam huius morbi & vulgarem ætiologiam enarrabo; altero autem dubia contra illam in medium proferam, & aliam huius morbi originem aliumque fiendi modum demonstrabo; tertio denique therapeutica illius tractationem, causis indicatis congruentem, ob oculos ponam. Quæ ut in rei medicæ emolumentum præstare possim, facultatem a Deo, lucis origine, humillime expeto.

## CAPVT PRIMVM.

## §. I.

**Q**uemadmodum historia morbi, fideliter collecta & iudiciose applicata, ad causarum verarum explicationem plurimum lucis affundit: ita pro consuetudinis ratione, quam in scribendis dissertationibus observare solent, subiecta & signata

A 3

huius

6  
huius morbi diagnostica reliquaque phænomena erundis causis præmittere necessarium duco. Igitur quod ad subiecta attinet, omnes fere Autores in eo conveniunt, quod rhachitis morbus sit *infantibus* proprius, quodque in ea ætatis periodo præcipue observetur, in qua *atrophia* tenellulos istos divexare solet: nempe a nono circiter post partum mense usque ad annum tertium vel quartum, seu, quod idem est, a tempore illo, quo vel ablactantur, vel cibis solidis præmature infarcuntur, usque ad virum concoctionis & digestionis maiorem facultatem. Raro autem mox post partum & rarissime in utero materno hic morbus contrahitur. Quare dubitant Autores de rhachitide connata, & GLISSONIVS pag. 179. dicit: nondum liquere, an parentes, hoc morbo in pueritia afflicti, prolem eo affectam genituri sint.

II.

Interim ratione *subiectorum* hic æque, ac in aliis infantum morbis, quam maxime notare convenit, quod non omnes promiscue infantes eadem frequentia & facilitate rhachitidi sint expositi, sed illi præcipue, quorum parentes & corpore & animo sunt sensibles, molles, otiosi, opipera mensa utentes, morbis chronicis exhausti, & quorum molle vitæ genus in alendos & educandos infantes quovis modo transfertur & applicatur. Hos sequuntur parentum pauperiorum infantes, qui contra omnes diætæ regulas peccare coguntur. Contra proles, quæ a durioribus parentibus generatæ, & mox ab incunabilis duriori vitæ sorti expulsæ,

fræ, modo non extreme negligenter educatae, neque rhachitidi neque aliis morbis, si causarum externarum iniurias & violentias excipiamus, adeo facile obnoxiae reperiuntur. Imo licet etiam pauperum & mediocris fortis parentum infantes, uti modo dictum, passim rhachitici evadant: perpendendum tamen omnino est, eos ad numerum ditiorum & honoratiorum minime accedere, & præterea non a tacitis, sed semper fore manifestis externis causis & iniuriis provenire. Hanc subiectorum differentiam bene iam tradidit GLISSONIVS p. 286. sequentibus verbis: *Morbus hic potissimum generosorum, presertim eorum, qui molliter vivunt, eunas infestat, deinde eorum, qui sedentariam & securam vitam agunt: hinc insime plebis, ob variis per necessitatem errores diætae: minime illorum, qui medios sunt fortune, laboribus adsueti, neque necessariis ad vitam destituuntur. Quæ frequentia rhachiticorum divitum præ aliis inferioribus ob eam potissimum rationem notanda erit, ne in explicandis causis nimium tribuamus virtutis diætæ, seu in qualitatibus aëris & alimentorum adeo anxie hæreamus, & rigorose versemur; de quibus infra explicatius erit dicendum.*

## III.

A subiectis progredior ad *signa*, unde rhachitis dñoscitur, & quem admodum hic morbus suos habet gradus; ita primum *incipientis*, deinde *adultioris signa* trademus. Quod ad signa *imminentis* rhachitidis attinet, ea in BOERHAAVII apłor. de cognoscendis & curandis morbis pag. m. 532. sequentibus verbis succincte dilinea ta sunt: *Cognoscitur morbus hic incipiens in his, qui nondum in se sunt.*

cedunt, 1) ab astate, 2) a causis pregressis, 3) a fratribus, sororibus, simili malo captis. 4) a tumore flaccido capitis & faciei. 5) a cute laxa. 6) a tumore abdominali. 7) a macilentia reliquarum partium, imprimis muscularum, 8) a protuberantia epiphysiorum ad interras radii, ulnae, humeri, genu, tibia, fibula. 9) a magnitudine arteriarum & venarum singularium, dum relique decrescent. In illis vero, qui iam ambulare inceperant, noscitur adveniens malum, 1) ex omnibus antecedentibus. 2) ab incessu tardiore, infirmitate, prolapso, instabilitate, transcante in assiduum sedendi voluntatem, mox abiuturam in decubitum perpetuum, tandemque in impotentiam motus quorunque artuum, collo flexili, capite naurante. 3) ab in genii prematuro acumine, sensum sincero exercitu, appetitu & digestione ferme illesis. His imminentis morbi signis unicum adhuc addendum erit, nempe continuus vagitus, qui in plurimis rhachitidem praecedit.

## IV.

Adultioris morbi signa adeo manifesta & omnium oculis ita exposita sunt, ut Autores in eis consignantur. Videlicet generatim observatur laesa membrorum corporis proportio, quam per singulas cavitates & regiones speciatim nunc indicabo. Caput in eam amplitudinem crassescit, ut tenelluli ægrotantes illud vix erectum sustinere queant. Contra pectus angustum & paulisper depresso est; præter carilaginem ensiformem, quam in altum elatam & instar pectoris gallinæ seu naeviculæ inversæ formatam in pluribus conspicimus. Abdomen, imprimis latus illius dextrum, plerumque adeo tumidum est, ut expansione sua tympanum referre videa-

*De rhachitide.*

videatur; nisi quidem diarrhæa tandem accedens colliquativa hunc tumorem imminuat. *Ossa* brachiorum pedumque inferiorum sunt incurvata & eorum articuli tam nodosi & prominentes visuntur, ac si duplicati essent; a quo symptomate Germani hunc morbum vocare solent die doppelte Glieder. Præcipue autem *spina dorsi* varie torquetur, & modo introrsum modo extorsum flectitur; quæ specialis afflictio ansam dedit, ut *rhachitidis* nomen huic morbo impositum sit: *spina* enim *dorsi* a Græcis οψης appellatur. Reliquæ externi corporis partes maiorem laxitatis gradum ostendunt, & hæc atonia eximia languorem virium universalem habet coniunctum. Præterea respiratio admodum difficilis est, & toto morbi decursu lentescens febricula corpore depascit.

V.

Hæc sunt præcipua signa lœsæ partium *externarum* proportionis. Nunc indicandum erit, quas lœsiones *internas* cadaverum sectiones frequentius manifestent. In cavitate abdominis *hepar* plerorumque adeo magnum & expansum reperitur, ut naturalem sui proportionem gemino fere pondere supereret. Præcipue autem *glandula mesenterii* tantum non in omnibus obsesse sunt strumis & scirrhis diversæ magnitudinibus. Tractus *ventriculi* & *intestinorum* flatulenta distensione ultra statum naturalema expanditur. Media corporis cavitas manifestat pulmones hic infarctos, illic scirrhosos, istic ulceratos, qui præterea eximiā cum pleura concretionem patiuntur. In suprema autem cavitate vix ullæ lœsiones de-

B

prehend-

prehenduntur: quamvis enim nonnulli Autores exsufferantem cerebri molem aliquando observasse sibi videntur, perpendendum tamen est, nobilissimi huius organi proportionem per qualibet fere individua magnopere differre, ideoque magnam cerebri molem non facile virii & lesionis nomine venire. Interim curatus inquirendum puto, num id, quod nonnulli de *principio spinalis medullae* solito duriore tradiderunt, in pluribus verum deprehendatur, an vero hypotheseos defendenda inclinatio fallaciam quandam opticam obiecerit. Ceterum in tribus cavitatibus, abdomine, thorace & capite, serum extravasatum non nunquam deprehenditur.

## VI.

Præmissa morbi nostri historia audiendum nunc erit, quid causarum accusare soleant Autores, qui de eo scripserunt. Notissimum est ex pathologia vulgari, quam usitatum sit, *obstructiones* tam *nervorum* quam *vasorum* plurium morborum causas incusare: multas autem difficultates hoc assertum premere, imo proflus refutare, respectu quidem *vasorum* solide admodum STAH-LIVS in *diss. de obstructione vasorum sanguiferorum* demonstravit; respectu autem *nervorum* falsitatem illius placiti MVSITANVS in *trutina libr. I. cap. III.* ex eo præcipue probavit, quod nervi sint filamenta solida, quæ nullam habeant cavitatem seu tubulos. Quamvis autem haec lux pathologica in *scholæ medicæ* tenebras splendorem suum emferit, ipsæ tamen tenebrae eandem non comprehendunt, sed plerique pathologorum in hunc usque

que diem eadem chorda oberrarunt, obstructiones suas  
ubique fere in medium proferendo. Sic v. g. in para-  
lysi, hemiplexia, apoplexia & reliquis morbis, ubi  
motuum vitalium defectus peccat, supponunt & incu-  
fiant centralem obstructionem pororum cerebri medul-  
larium, quam vel largior sanguinis diffusio extra vas a,  
vel serum viscidum stagnans & distendens efficiat. Un-  
de, ob elaterem deficientem, non possit non succedere  
tubulorum lucidorum medullarium subsidentia, com-  
pressio & spirituum animalium interceptio. Verum  
enim vero si vel unica illa circumstantia consideratur,  
quod vehemens animi commotio hominem, optime  
valentem, in apoplexiā vel paralysin coniūcere pos-  
sit & soleat, ubi tamen de sero viscido aut de aliis cau-  
sis materialibus, nervos obstruentibus, ne cogitandum  
quidem est; non parum detimenti obstructionis patho-  
logia inde nanciscitur.

## VII.

Pergemus autem ad specialem applicationem, & in  
morbo nostro indicabimus, quod plerique Autores  
uno quasi ore obſtructionem spinalis medulla pro causa imme-  
diata & proxima rhachitidis habere soleant; ad causas au-  
tem mediatas, obſtructionem tales efficientes, referant  
omne id, quod lympham vel acidam vel coagulantem  
reddere possit. Hanc lympham acidam & coagulan-  
tem, aut contra vappidam, nervis seſe infinuare, & eo-  
rum subtiles meatus obſtruere putant. Dissentunt in-  
teriori ratione partis & totius: alii enim iudicant, ipa-  
lem medullam ab eiusmodi crassis humoribus totaliter  
obrui,

obrui, & sic impediri, ut nutrimento nervoso aditus prorsus præcludatur; alii autem partiam tantum nervorum obstruktionem admittunt. Ad posteriores pertinet PINEAV, qui in *diff. de rhachitide* Lugd. Batav. 1691. habita scribit, non adeste via regiae seu medullæ spinalis nervorumque obstruktionem universalem, sed tandem spatii relictum, ut quorundam spirituum animantium influxus locum habere possit. Sicut autem plurimi materiam crassam, viscosam & pituitosam obstruktionis causam hic accusant: ita VAVX. in *diff. de rhachitide* Lugd. Batav. 1704. habita, in contrariam sententiam abit, & humores potius tenuiores atque acriores, ut pote ad nervos intrandos & obstruendos efficaciores, inculpat.

VIII.

Quæ vero causæ fint *occasionales* & *procatareæ*, per quas eiusmodi peccantes & obstruentes humores generantur, eas tam in parentibus quam in eorum liberis quærunt, & imprimis abusum rerum non naturalium magno rigore accusant. In parentibus morbosam viscerum constitutionem supponunt: unde vitiosum semen & impuri humores, fœtui nutriendo impares, dependent. Præterea specificas corruptiones scorbuticas & veneras passim proferunt, & perhibent, vitiosam earum salia, quibus semen imprægnatum sit, stamina eiusdem commatis in infantibus ponere, atque medium causam in iis producere. Imprimis autem pravam victus rationem ad potus usque spirituosos in matribus criminis arguunt, & alimenta crassa, acida, dulcia, humores

mores crudos minusque defecatos generantia, damna-  
re solent. Ex parte autem infantum inculpant primo  
aërem humidum, nebulosum, frigidum: hunc enim sanguinem  
reddere crassum, viscera obstruentem, & præterea ner-  
vis (quod mirum quibusdam videbitur) valde inimi-  
cum esse iudicant, & adeo strenui legum transgressio-  
rum iudices reperiuntur, ut ipsa infantum cubicula in-  
trare atque aëris conditionem humidam frigidamque  
in illis explorare non dubitent; immemores sane, quod  
plures rhachitici in palatiis & ædibus nobilium, quam  
in squallidis & humidis pauperum tuguriis offendantur.

## IX.

Post aërem *alimenta* seu vitiosam diætam in cibo &  
potu &c que ac in parentibus in ius magnopere vocare  
solent. Respectu quidem *quantitatis* iudicant, copiam  
alimentorum, qua infantes infarcire vulgo soleant, di-  
gestionem impedire, chylum impurum & sanguinem  
tam acrem quam viscidum, nervis obstruendis ido-  
neum, generare. Respectu autem *qualitatis* alimento-  
rum per multa in catalogo suo habent, quæ noxia &  
morbo nostro faventia declarant, e. g. lac vel nimis  
pingue vel alio modo vitiosum, cerevisiam feculen-  
tam, omnia pinguia, dulcia, saccharata, farinacea non  
fermentata, placentas, panem e clibano recenter ex-  
tractum & plerasque carnes paululum duriores. Quæ  
quidem omnia, in *abstracto* considerata, non omni vi-  
tio carent, sed aliquando rhachitidi producendæ famu-  
lantur; si autem in *concreto* veritates facti examinamus,  
plures infantes offendimus rhachiticos, qui selecta-

incipulata imo scrupulosa in alimentis diæta fruuntur; & vix ad satietatem alimenta accipiunt, quam qui toto die quemlibet cibum, panem, caseum, pira, poma, pruna, ingerunt, & ceterum in cœno voluntur. Ex quibus discimus, eiusmodi errores diæteticos ad morbum hunc generandum prius non habere pondus, quam si peculiaris subiectorum conditio concurrat.

## X.

Eodem modo res se habet cum accusatione reliquarum rerum non - naturalium, scilicet cum excretis & retentis cum somno & vigiliis & cum animi pathematis. De his quidem perhibent, quod *motus animi spiritus animales turbent*, ut eorum influxus præpediatur. *Somnum autem nimium* putant efficere sanguinem crastum, caput replentem & cerebrum obstruentem; *nimas contra vigilias* fluidum nerveum dissipare existimant. *Nimiam quietem* propterea noxiā reputant, quod sanguinem reddat torpidum & universum corpus flacidum. *Retentam alvum* producere dicunt fatus, abdomen diffidentes, coctionem impedites: unde cruditates, lympha impura & sanguis putridus (alii dicunt acris) gerentur. *Nimas denique alvi excretiones spiritus dilperdere* & sanguinem reliquum vappidum reddere statuant. De retentis wine & præsertim sudoris rariores, quod mirandum, legere licet accusations,

## XI.

Sic audivimus causam huius morbi proximam & immediatam, nempe obstructionem medullæ spinalis; audivimus quoque plures causas mediatas & procatasticas,

eticas, obstructionem illam producentes: iam deveniendum erit ad causas *symptomatum*, in quibus explicandi multum ac diu in hunc usque diem sudarunt, & tamen, quod modestia dictum sit, parum effecerunt. Dicemus autem de his symptomatibus & de vulgari eorumdem *etiologya* eodem ordine, quo signa §. IV. & V. enarravimus. *Capitis* amplitudinem & crassitatem derivant a copia spirituum animalium, qui quoniam in medullam spinalem obstructam influere non possint, eodem in *capitis* partes regurgitando influant, & inuberius in *capitis* vires ultra etatis tenorem intendant. *Pectus angustum* & *cartilaginem ensiformem*, in altum erectam, ex eodem deducunt, quod musculi pectoris, ob succinervosi influxum denegatur, non crescant, ideoque non concedant, ut elongatae costae dilatare se possint. Cumque ob cordis & pulmonum obstaculum introrsum flexi nequeant: tum necessitate fieri putant, ut *sternum*, ob costarum cartilagini, antrorsum propellatur, & *cartilago ensiformis* elevetur, pectus autem angustum & acuminatum reddatur, costaeque, propter abundans nutrientum, fiant nodosæ. *Abdominis* tumorem per magnitudinem viscerum, in hac cavitate reperiundorum, & præcipue per hepatis magnam molem expllicant. Eandem viscerum abdominalium magnitudinem ad pectoris quoque angustiam contribuere iudicant, diaphragma sursum pellendo & pectoris costas per musculos abdominis deorsum trahendo.

## XII.

Expositis causis symptomatum, in *trunko corporis* occur-

occurentium , dicendum nunc erit de iis , quæ in <sup>ar-</sup>  
tibus obveniunt. Primum audiamus explicationem of-  
fsum incurvatorum valde laboriosam & perpolitæ eruditio-  
nis speciem præ se ferentem. Profecto GLISSONIVS  
non sine multo labore & profunda meditatione exco-  
gitare potuit demonstrationes suas mathematicas , quas  
*tractatu de rhachitide profert , & typis æncis excusas exhi-*  
*bet. Judicat autem , ossium nutritionum inaequalem esse*  
*causam incurvationis , atque hoc assertum per columnam*  
*tribus lapidibus , invicem sibi oppositis , exstructam , &*  
*ab omni latere perpendiculariter erectam , sequente*  
*modo illustrare contendit. Sicut supremus columnæ*  
*lapis inclinetur ad latus sinistrum , quando cuneus inter*  
*lapides duos inferiores a latere dextro intrudatur , eaque*  
*inclinatio adhuc magis augeatur , quando alter cuneus*  
*inter duos lapides superiores impellatur ; ita etiam os*  
*ad latus sinistrum incurvari indicat , quando latus dex-  
trum nimium nutririatur. Licet autem hoc simile quam*  
*maxime claudicet , & a MAIOVIO , qui GLISSONII*  
*eruditionem alias magni habuit , pro ingenii commen-  
to declaretur : probare tamen illud per methodum me-  
dendi usitatum annis est. Putat nempe , Medicos*  
*concava ossium latera per linimenta balsamica fricantes*  
*id efficere , ut nutritionis defectus in iis compensetur.*  
*Sicut autem GLISSONIVS in ossa , ita MAIOVIVS in*  
*musculos & quidem in eorum deficientem nutritionem ,*  
*culpam coniicit. Putat enim , osla quidem e. g. tibizæ ,*  
*æquali augmento crecere , quia solo sanguine nutrian-  
tur , musculos autem surales infra supraque hisce ossi-  
bus*

bus affixos, pari vigore non crescere, quia ad illorum incrementum succus simul nerveus requiratur, qui autem hic deficiat ex supposita medullæ spinalis obstruktione, unde porro concludit: musculos breyes incurvare ossa longa, sicut chorda plectrum reclinet. Ad hoc ulterius illustrandum, simile petit ab arbore tenuera, quæ crecens incurvetur, si inferius & superius restet quadam firmiter alligetur. Præterea methodum inungentem æque, ac GLISSONIVS, pro sententiæ suæ confirmatione in medium profert iudicatque, spiritus animales, in musculis deficientes, per balsamicorum applicationem restaurari. Quod simile, ab arbore desumtum, modum incurvandi veri similem redderet, & fine notabili claudicatione accurate adumbraret, si breves musculos non a passiva deficientis nervi succi causa, sed ab activa tonica compressione & constrictione, ad certum finem instituta, deduxisset. PETITVS, *Parisensis* chirurgus, præter musculorum brevitatem, in sanguine quoque vitium accusat, iudicans, illum carere particulis salino-sulphureis, seu indole volatili, ideo que acredimen, (cur non potius vappam & mucorem?) concipere & ad flexibilitatem ossa disponere. Quam vero ob causam *epiphyses* seu ossium extrema adeo nodosa & quasi duplicata apparent, ita interpretantur, ut, quia musculi legitime non nutritantur, materiam nutritientem eo largius ad ossa ferri putent, ubi ab extremitatibus, utpote mollioribus, facilius & copiosius, quam in reliquo osse duriore, recipiatur. *Flexionem spine*, licet hæc ad truncum pertineat, studio hoc refer-

C

vavi-

vavimus, quia MAIOVIUS ab eodem muscularum vi-  
tio eandem derivat, existimans, spinam in superiore par-  
te a musculis, exterius affixis, introrsum, parte autem  
inferiore a musculis *psoadibus*, interius annexis & præpol-  
lentibus, extrorsum incurvari. Alii triplicem causam  
proferunt, scilicet laxitatem ligamentorum vertebralium,  
flacciditatem muscularum, spinam extendentium,  
& magnitudinem capitis, quod pondere suo spinam  
eadem ratione incurvet, qua arbuscula a pondere quo-  
dam, supreme illius parti appenso.

## XIII.

Nunc restant *interiora viscera* eorumque symptoma-  
ta explicanda. Generatim afferunt, viscera abdominis  
fere omnia proportionem excedere, in primis autem  
*hepar*. Ad hanc magnitudinem explicandam per quam  
docte in medium proferunt *anatomiam*, &  
tam ex *neurologia* quam *angiologia* causam singularis horum  
viscerum incrementi operose demonstrare allaborant.  
Afferunt autem easdem rationes, quas in capite obti-  
nere putant: nempe viscera abdominis succum nerveum  
a nervis intercostalibus & pari vago, e cerebro proce-  
dentibus, ideoque a supposita obstructione liberis, ac-  
cipere, & ob hanc causam sanguinem sufficientem ad  
sui incrementum extra ordinarium habere. Interea mi-  
ror, quod hic vir iudiciosus cum hac *anatomia*  
non coniunxerit experientiam & anatomiam practi-  
cam, qua edocemur, viscera abdominalia non omnia in  
omnibus rhachiticis proportionem excedere, sed lie-  
nem non raro extenuatum & renes flaccidos esse. Tan-  
tum

tum abest, ut copiosius nutriantur, licet eiusdem originis nervos cum hepate habeant communes. Tantem glandulas mesenterii scirrhosas idem MAIOVIVS re vera doctiuscule, tam respectu ortus glandularum, quam earum scirrhosa constitutionis explicat. *Ortum* quidem sequente modo docet: succum scilicet nerveum, debita fermentatione cum sanguine permixtum, putat in substantiam nutritiam & carneam transire; si autem nervus repletus succum suum, albumini ovi similem, in carnium interstitia effundat, hunc non fieri carnem, ob sanguinis requisiti defectum, sed in corpus glandulosum coagulari. Hunc ingeniose excogitatum glandularum ortum per sequens experimentum, in cane factum, confirmare intendit: videlicet nervum canis vulneravit, qui mox convulsionibus misere distortus, post tres autem menses dissecatus, in vulnere antea inflicto glandulosam insigne concretionem exhibuisse sibi visus est. *Scirrhos* autem glandularum mesenterii ex his suppositis ita interpretatur: cum tantus a cerebro replete succus nervosus per paris vagi & intercostalis nervos in abdomen transferatur, quantus in viscerum substantiam mutari non possit: tum succum istum in membranarum interstitia deponi, ibique strumas numero las efficere putat. De pulmonum l<sup>e</sup>sionibus silentium agit, quæ tamen ex iisdem suppositis seu potius fictis derivari possent.

## CAPVT SECUNDVM.

## I.

**H**Æc sunt specimina ætiologiæ laboriosissime quidem excogitatae, sed veritatis suffragio destitutæ. *Talem*  
C 2

lem operam sumunt inanem, qui irritis principiis imbuti symptomata morborum cum eorundem causis confundunt, omnesque motus auctos, in morbis plerisque occurrentes, non a motore quodam, in certum finem agente, sed a meritis causis materialibus derivant, & activa symptomata a passivis non distinguunt. Quot dannna exinde tam in pathologiam quam in ipsam morborum curationem redundant, Excell. PRÆSES in *conspicu suo pathologico* passim demonstravit, e. g. p. 24 - 26. Quod si enim omnino verum esset, ut medulla spinalis in quibusdam indurata per sectiones reperta fuisset, hanc tamen laesionem non pro causa morbi proxima, sed ~~ex~~ que, ac reliquas viscerum depravationes, pro symptomate habere possemus. Nam sicut in rhachitide lentescens febris plerumque concurrit, & reliquum corpus extenuat: ita succi quoque nervei tenuorem partem per motum caloris febrilem dissipari, (dass das Markt in den Beinen verdroekne, wie es im Sommer durre wird,) vero est simillimum. Cumque pleraque in vulgari rhachitidis aetiologya tantum supposita, non autem probata sint, e. g. quod ossa solo sanguine nutriantur, quod succus nervosus sit nutritius & ad numentum reliquarum partium necessarius: tum verior rem pathologiam hic meditandam subministrabo. Nam opposita iuxta se posita magis illucefcent.

## II.

Quem admodum viri perspicaces sub finem elapsi & initium praesentis seculi de vulgari morborum explicazione multum dubitare aliquamque pathologiam excepta-

gitare incepérunt; ita morbum quoque nostrum ex aliis  
fontibus derivare studuerunt, saltim haud difficulter  
perviderunt, quod GLISSONII *alogotrophia* seu inæqualis  
*effsum nutritio* sit *alogalalia*, id est. irrationalis locutio &  
ingenii fictio, quia rationem non reddidit, eur partem  
eorum convexam plus nutriri quam concavam putaret.  
Et licet MAIOVIUS sententiam suam, nempe *deficien-  
tem muscularum nutritionem* per rationes anatomicas &  
pathologicas explicare atque per demonstrationes mathe-  
maticas corroborare intenderit; facile tamen viri docti  
perviderunt, quod illa ætiologia a GLISSONIANA pa-  
rum differat, quodque itidem acute quidem excogita-  
ta non autem vere probata sit. Quare recentissimi au-  
tores, quando ad rhachitidem explicandam perveniunt,  
potius tacent, saltem leviter & generatim de eo expo-  
nunt, quam eiusmodi fictiones repetunt.

## III.

Ex eorum numero est præcipue BOERHAVIUS,  
qui in explicandis huius morbi causis & symptomati-  
bus pleraque sicco pede præterivit, & id ipsum exem-  
plu suo confirmavit, quod discipulis suis in collegiis  
sepius commendare solebat; nempe ea phænomena, quæ  
mechanice explicari non possint, esse prætermittenda,  
& docta quadam ignorantia dimitienda. Si enim *apho-  
rismos* eius de cognoscendis & curandis morbis consulamus, rha-  
chitidis quidem causam proximam generatim indicavit,  
nempe cacochemiam mucosam & frigidam, latente for-  
te leni labe venerea permixtam, cum laxa partium fir-  
marum fabrica; de symptomatibus autem singularibus

C 3

singu-

singulariter explicandis altum egit silentium, haud dubie prævidens difficultates, per hypotheseos mechanicas rationes nullo modo solvendas. Eadem fere via incepit Excell. BRENDELIVS, qui dissertatione de rhachitide, abhinc sex mensibus Göttingæ habita, doce quidem de hoc morbo scripsit, multam ~~augustinian~~ anatomicam ostendendo, & præcipuos de eo scriptores allegando; in ipsa autem causarum dictione admodum discrete se gessit: non solum enim alogorophiam ossium GLISSONII sed etiam muscularum MAIOVII aliorumque quorundam placita in dubium vocavit. Præterea cum plures causas huic morbo generando aptas enarrasset, cordate sane subiungit, non difficile esse, multa hic coniicere. Igitur si eut rhachitis cum symptomatibus suis plane singularibus pure mechanice inexplicabis est: ita organice omnia huius morbi phænomena congruenter & apposite explicari posse confido, & sequentibus ad oculos pone re annitar.

## IV.

In hunc finem generalem morborum definitionem quam Excell. PRÆSES in conspectu suo theoretico-practico tradit, præmittere & deinde ad præsentem affectum applicare commodum iudico. *Morbus*, inquit, est *status* præternaturalis hominis vivi, in partibus tam fluidis quam solidis, utrarumque crasin & mobilitatem Lædens: concurrentibus varii symptomatibus, que vel a materiali noxa, vel a motibus principi vitalis conservatoriis, materiali noxe oppositis, ultra gradum naturalem plerumque auctis, rarius remissis, dependent. Tria in hac definitione sunt perpendenda: primum *morbis* ipse seu *status*

status p̄ternaturalis in partibus tam fluidis quam solidis materialem noxam fovens; deinde *symptomata activa*, nempe motus principii vitalis conservatorii, materialē peccanti oppositi, seu (ut veteres iam loquuti sunt) pugna naturae cum morbo expellendo; denique *symptomata passiva*, quae ex hoc conflictu redundant & non solum a materiali noxa sed etiam potissimum a symptomatibus activis seu a naturae conatibus & laboribus, plerumque dolorificis, non raro impetuosis dependent. Ad hæc tria momenta in morbo quoque nostro explicando ego nunc respiciam.

## V.

In rhachitide quid sit, quod *morbi* nomine veniat, dextra indiget explicatione, ne symptomata passiva, ut plerumque fieri solet, pro ipso morbo habeamus. Qui vocis etymologiam considerant, in virtu corporis externa & præcipue in spinam dorsi aliasque ossium deformitates oculos suos coniiciunt, ac propterea rhachitidem definiunt per nutritionem inæqualem & hinc dependentem ossium pravitatem malamque conformatiōnem. Quoniam autem eiusmodi descriptiones, ut ita loquar, superficiales viam ad solidam ætiologiam præcludunt, interiora viscera magis respicere atque ex iis causas eviscerare conveniet. Verissimum est assertum, quod rhachitis plerunque sit productum & conformatarium seu summus gradus atrophiæ, ideoque ex hisdem causis derivanda. Quamvis enim passim occurrant rhachitici, qui sine prægressa atrophia in talem morbum conieci sunt: a potiori tamen sit denominatio,

tio, & sectiones cadaverum uberrime docent, quid viscera in recessu habeant apud eos rhachiticos, quitan-  
dem hoc morbo succumbunt. Ergo hoc loco non di-  
cam de talibus, quorum afflictio a meritis externis &  
semi-violentis, vel, si forte maiis, aliquando ab her-  
editariis causis originem sumit, sed de iis, qui ex visce-  
rum præcipue abdominalium labi in eum atrophiam gra-  
dum pervenerunt, qui usitatissima autorum acceptione  
rhachitis appellatur. Hac enim ratione clarius perlu-  
strari poterunt tam ipsis morbi, quam præcipuum  
illius symptomatum causæ & connexiones.

## VI.

Causam atrophiae incipientis *materialem* in vitiis va-  
forum lacteorum modo primi, modo secundi, modo  
utriusque ordinis consistere, & glandulas mesenterii  
scirrhosas reddere: nemo facile dubitat pathologorum,  
quia per innumeras fere sectiones id habent confirmatum.  
Quo plura autem horum vasorum lacteorum  
sunt obstructa, eo magis sufficiens corpori nutrimentum  
præcluditur. Quare principium vitale seu natura, cor-  
poris sui necessitatibus prospiciens, excitatur & cogi-  
tatur, ut contra hanc materialem causam, vitæ interitum  
minitantem, duobus suis armis insurgat, videlicet mo-  
tibus æstis tam in solidis quam fluidis partibus. In  
solidis partibus, præcipue in artibus & per tractum spi-  
næ dorsi, motus tonicus ad spasmorum usque gradum  
intenditur, & hac ratione partes fluidæ a peripheria ad  
viscera interiora & quidem speciatim ad loca periclitan-  
tia copiosius diriguntur & restringuntur, eum nempe in

in finem, ut materiale vitium abstergatur, resolvatur, discutiatur & excussioni commoda reddatur. Nemo hic putet, hanc specialem & copiosiorem humorum directionem ad certa & selecta loca repugnare circulationi sanguinis: a quo enim tempore motus tonici doctrinam & usum clarioris lucis fecit STAHLIVS, eiusmodi cogitata & obstacula plurimum evanuerunt, & nemo, quantum scio, hanc veritatem haec tenus impugnare ausus est. *Conf. dissert. eius de motu tonico*, in qua per leges hydraulicas demonstratur, quam facile & commode fieri possit, ut partes fluidæ per solidarum moderamen in alium locum parcias, in alium autem copiosius pelantur, impellantur, perpellantur, & hac ratione imputates, ibidem hærentes, abstergantur.

## VII.

Eadem actio & specialis humorum directio continet quoque in pluribus aliis morbis, præcipue in febribus paroxyzantibus: in illis enim versus tempus novæ accessionis vel potius novi laboris naturæ motus tonicus adeo intenditur, ut in extremis artuum & in spina dorsali molesta tractiones & dolores spastici sentiantur; in partibus autem interioribus, ad quas humores copiosius restricti sunt, angustantes oppletiones tam diu sentiuntur, donec labor abstersivus hac vice absolutus est, & intensio motus tonici in peripheria relaxatur, humoresque motu contrario ex interioribus partibus ad exteriorē iterum ducuntur. Has motuum alteraciones & sanguinis variantem distributionem in omnibus quidem morbis observamus, sed non omnes ex genuino fonte

D

deri-

derivamus. Plerumque enim id, quod sapientis naturæ est, materiæ peccanti tribuimus, ideoque non raro ad incongruam medicationem prolabilimur. Vbicunque in morbis motus, licet admodum molestus sit, ille non a materiali noxa sed a principio vitali propter & contra materialem peccantem institutus, derivari debet. Est nempe medicus internus, natura morborum medicatrix, contra morbos per motus suos laboriosos pugnans, & plerumque convenienter agens.

## VIII.

Itaque, ut ea, quæ modo dicta sunt, ad supra traditæ definitionis incudem revocemus, *morbum* seu causam *proximam*, in rachitide peccantem, habemus vilcerum interiorum præcipue abdominalium, qualemcumque depravationem; *symptomata antem activa* sunt motus tam universales febiles, quam particulares spastici per artus & tractum spinae dorsi suscitati, hostique materiali expellendo oppositi,

## IX.

Sub hoc naturæ cum morbo certamine ac conflictu non solum multa incommoda, sed sæpius quoque pericula (uti in bellicis rebus fieri solet) exoriantur. Quæ accidentia commode appellantur *symptomata passiva*; quorum longe plura in rhachitide a *symptomatibus actiuis*, seu a motibus naturæ pugnantibus, quam quidem ab ipso *morbo* proveniunt, de quibus eventibus nonnulla speciam significabo. Ab ipso *morbo*, seu a causa materiali proxima necessario proveniunt nutritionis defectus, tabida corporis consumtio & virium prostrations, quia mate-

materialis illa noxa vias obstruit, per quas chylus seu materia nutriendis ad sanguinem ferri debet. Contra a *Symptomaticus activis*, seu a laborioso naturæ actu inter pugnam oriuntur sequentia symptomata passiva, & quidem adeo manifeste, ut hæc derivatio vulgarem ætiologiam facile refellere posse mihi videatur. Enarrabimus autem primum, quid a partibus fluidis, & deinde quid a solidis incommodorum & accidentium introducatur. *Fluide*, quæ per spasmos periphericos ad interiora in falutarem finem pelluntur, loco resolutionis, abstersionis & discussionis, cum materia hostili se coniungunt, & sic stases & obstructiones augent. Die Hülffs-Troupen schlagen sich zu dem Feind, und verursachen doppelten Schaden. Imprimis autem viscera abdominalia a copiosa sanguinis opplatione moleste obruuntur, distenduntur & infarciuntur: Vnde non solum eximius abdominis tumor, sed denique etiam mirabilis illa viscerum metamorphosis, quam cadavera secta monstrant, introducitur. Præ aliis *hepar* ad ingentem molem expanditur, quod eo minus mirandum, quia hoc viscus apud infantes ordinarie iusto maius est, & utrumque eorum hypochondrium replet. Sic etiam eximiam capitis expansionem & crassitatem facile explicare possumus; quia præter sanguinis ad interiora repulsi & accumulati expandentem caussam (a magnitudine arteriarum & venarum iugularium dignoscendam) aliæ quoque rationes accidunt. Caput enim quando cum reliqua corporis infantilis mole comparatur, proportionem notabiliter habet maiorem, & hæc excedens amplitudo

D 2

eo

eo magis in oculos cadit, quo manifestius reliquæ corporis partes in hoc morbo tare consumuntur.

## X.

Quid autem de *ingenii* acumine, quod eiusmodi infantes præmature offerunt, sentiendum erit? si perpendimus, quod in aliis quoque chronicis infantum morbis, in quibus hæc capitis moles quam longissime absit, (*Haben vielmehr spige Kopfse,*) idem præcox ingenium manifestius sese exlerat, facile intelligimus, a copioso spirituum animalium affluxu, caput ultra modum nutritive, expandente, & functiones animales nobilitante, hunc effectum minime depéndere. Ergo alia hu-  
ius intellectus præmaturi erit causa, nempe notissima illa: *vexatio dat intellectum.* Sicut enim omnes in corpore nostro actus & motus ab uno eodemque præside & directore dependent, mirabilique connexione cohærent, ita neminem fugit, quod functiones animales insigniter afficiantur & excitentur, quando negotia vitalia in periculo versantur, de qua mentis in hoc morbo affectione satis testantur impatientia, indignatio, morositas, frequentes vagitus, aliaque animi pathemata, quæ in eiusmodi tenellulis ægrotis observantur. Si quis vero hominem facit automaton, & non erubescit afferre; quod memoria, imaginatio & aliæ mentis operationes necessitate mechanica fiant, ille Lutheri phisophilam & iudicium de infantibus sic dictis suppositiis non adeo improbat. Vid. colloqu. mental. cap. IX. ubi de tali infante seu potius puerò duodecim annorum resert, quod actiones animales, vitales & na-  
tura-

turales exercuerit, & tamen non nisi massa carnis fuerit, in qua non sit anima, ideoque sine metu homicidii in aquis suffocari possit. Sed deseremus hoc philosophandi genus, & ad symptomatum passivorum ultiorum explicationem progrediemur.

## XII

In partibus solidis spastica & rigida muscularum & tendinum agitatio & contractio efficit, ut ossæ partes, quæ in ejusmodi teneris infantibus admodum molles sunt, varie flectantur, incurventur & disjungantur. Ex his intelligimus, cur rhachitis stricte dicta seu depravatio habitus externi & partium osscarum sit morbus infantilis, in reliquis autem ætatis non nisi a caussis violentis (ad quas angustæ virginum cataphractæ etiam referri possunt) provenire soleat. Quamvis enim adultores spasmis subinde enormibus divexusentur, ossium tamen incurvatio aut dislocatio minime in illis contingit, ob robur, quod ossæ partes in iis acquisiverunt. Haec ratione brevitatem quidem muscularum pro caussa incurvationis ossium agnoscimus, non autem MAIOVLI *passivam*, a defectu nutritionis ortam, sed *active contractam*, & a natura in salutarem finem productam. Ceterum ad rarissimos casus pertinere putato exemplum illud, quod hoc ipso die, quo hæc scribuntur, cum Excell. PRÆSIDE communicatur. Scilicet refert filius litteratus de parente suo, viro septuaginta & quinque annorum, quod abhinc sedecim annis post spasmos vehementes tibiam pedis dextri admodum incurvatam acceperit, de reliquo autem bene valeat.

D 3

XII.

## XII.

Non solum autem labores isti spastici incurvandis, dislocandis & deformandis ossibus ansam præbent, sed etiam in partibus externis, præcipue in iuncturis seu articulis sensibilibus, tumores & accretiones deformes efficiunt, Germanice doppelte Glieder, Hocker, frummen Rück-Grad, ausgewachsene Schulter und Hüften. Spasmi enim excitant insignes dolores, quos infantes clamoribus suis frequentibus produnt; hi autem dolores naturam provocant, ut partibus hisce affictis succurrat, & per humorum affusionem eas demulcat & creciatus mitiget. Quare motu nunc retrogrado incedit, nempe motum tonicum in externis partibus haec tenus intensum iam relaxat, & sanguinem ab interioribus partibus ad exteriore copiosius dirigit. Hac autem ratione humorum accumulatio in externis partibus eadem fere incommoda parit, quæ ab eorum verlus interiora restrictione antea generabantur: videlicet loca illa afficta, quibus succurrere debent, tumoribus & accretionibus onerantur. Nam capita ossium, valde adhuc mollia & cartilaginea, per copiolum talem humorum affluxum molliora redduntur, intumescunt & quasi duplicata euadunt. Eadem plane ratione vertebrae spinæ dorsi distortæ uberioris augmentum accipiunt, & costarum extrema sunt nodosa.

## XIII.

Veram & genuinam esse hanc symptomatum *passorum*, a motu tonico, iam intenso iam relaxato derivatorum, explicationem, per ea quoque confirmamur phæ-

phænomena, quæ circa juncturas adultiorum passim observantur. Quando etiam strenui labores manibus perferuntur, & in iisdem dolores excitantur: natura afflictis hisce partibus uberiore humorum affluxu succurrit. Sic quando parturientes sub labore difficiili manibus suis manubria vehementer contrectant, & pedibus fulcimenta fortiter concutiunt: tunc mox post laborem affluxum humorum uberiorem in istis partibus experientur. Vnde nodosos tumores circa carpos, die *Kindes-Arme*, & varices in pedibus, die *Kindes-Beine*, saepius reportant. Non minus luculentum hujus asserti testimonium præbent motus spastici arthriticorum: Quando enim hi dolores spastici ægrotorum manus diu affixerunt: digitorum phalanges articulis suis ita flexuntur, incurvantur & contrahuntur, ut per ejusmodi contracturas plane deformentur. Præterea circa carpos nodosæ accretiones eueniunt. Idem quoque in pedibus podagricorum contingere notum est, utpote qui post varios demum cruciatus nodosas collectiones reportant. Et quid notius est, quam repentina humorum affusio & quasi effusio in illa loca, quæ per cauñas quasdam externas dolore quodam afficiuntur? Cujus utilem imitationem intendimus per ligaturas partium: Si enim v. g. enormem hæmoptysin compescere & sanguinem ab interioribus ad exteriore parts vocare cūpimus; tum has ad sensibilem usque dolorem ligamus, & mox circa ligaturas eximiam humorum affusionem deprehendimus.

## XIV.

## XIV.

Quod denique ad universalem peripheriæ atoniam attinet, quam cutis laxa, collum flexile, caput nutans, & reliquæ ad movendum & incedendum impotentia significant, quamque tum demum observamus, si Rhabditici a labore suo spastico remittunt: ea adeo usitata, propria & congruens est mortalium actionibus, ut id, quod alterna requie & remissione caret, longius durare non possit. Itaque quando natura spasticis suis motibus multum ac diu cum hoste pugnavit, ac eundem vel superavit, vel nullo labore expugnabilem deprehendit: tunc fatigata tandem & viribus exhausta motum tonicum relaxat, functiones vitales languide administrando.

## XV.

Supersunt quidem nonnulla symptomata passiva, in primis circa medianam cavitatem interne & externe occurrentia, quæ ad hanc ætiologiæ incudem adhuc revercari deberent; e. g. qua ratione abdomen inflatum diaphragma sursum premendo pulmones angustet, respirationem difficulter reddat, infarctus languinis ibidem efficiat, & sic naturam ad spasmos muscularum pectoralium &c. excitando univerlam illam scenam appetiat, quæ tandem carinam quasi inversam in thorace formet: lubens autem illorum evolutionem prætermitto; quia eodem modo eademque facilitate per motus tonici alterationes & humorum copiosiorem affusionem explicari possunt. Quare cuiusvis meditationi & applicationi illa relinquo. Placet autem hoc caput finire, compendio eorum, quæ hactenus prolixius dicta sunt: Rha-

Rhachitis, quatenus est auctior gradus atrophiae, pro causa proxima habet obstructionem illarum viarum per quas chylus sanguini advehitur: Vnde corporis nutritio impeditur, & vita periclitatur. Ad hoc periculum avertendum & obstructionem referandam natura, morborum optima medicatrix, motum tonicum in peripheria spastice intendit, & sanguinem ad loca periclitantia eum in finem copiosius dirigit, ut tenuiores seu serosæ illius portiones, ibidem secretae & percolatae, moleculas obstruentes penetrant, resolvant, abstergant, detrudant, discutant, & hac ratione vias obstructas aperiant. Hic finis in aliis quidem obtinetur, in aliis autem obstrutio pet copiam sanguinis, viscera interiora nimium opplando, distentendo, infarciendo & corrumpendo, potius augetur. Qui sinister eventus laborem naturæ adhuc magis excitat, & motus spasticos ad extrema usque intendit: Vnde mollia infantum ossa incurvantur & dislocantur. Quoniam autem extremus hicce labor insigne dolores, per artuum & spinæ dorfi regionem præcipue excitat: natura cogitur, ut ordine inverso & quasi retrogrado nunc incedat, partesque externas relaxando, humores ab interioribus ad exteriores dirigat. Sic humectando & demulcendo dolores quidem sedantur, in osseis autem partibus, præcipue circa articulos & vertebrais spinæ dorfi, deformes saepius accretiones producuntur.

## CAPVT TERTIVM.

## I.

A Nte, quam Therapeuticam huius morbi tractationem aggrediar, ratione *prognoseos* monere placet, quod  
E hic

hic infantum morbus valde pertinax sit, & solius naturæ opera non facile superetur. Evidem recentior atrophia, a diæta incongruente originem trahens, & obstrœctionem tunice villoſe leviter efficiens, sponte natura aliquando solvit, & quidem per humores a peripheria affusos, qui abluunt, & materias obstruentes per leves diarrhoeas excernunt. Quando autem hæc obstrœctione per vasa lactea & glandulas melenterii altiores radices egit; curatio valde contumax redditur: Interim tamen saepè contingit, ut remediis congruentibus, per plures hebdomadas continuatis, tandem superetur. Quando autem ad eum gradum pervenit, ut rhachitis stricte dicta accedat; omnem plerumque respuit curationem: quia in hoc casu viscera (quod signa superius notata docent) valde corrupta, nempe concreta, scirrhosa & ulcerata sunt. Hoc non obstante dantur interdum rariora quædam exempla, in quibus vilcerum labes, nondum adeo gravis, sanatur, & ægri convalescunt, licet externi habitus deformitas per totam vitam in nonnullis remaneat. Quæ rhachitis a causis mere externis & violentis originem sumit: ea facilius restituitur & quidem: per machinarum applicationem & topicorum remediorum usum.

## II.

Magni interest, huius morbi tractationem ita instituere, ut non solum genuinae causa sed etiam differentes illius gradus respiciantur: sicut enim eiusmodi ægroti non raro Medicis offeruntur; ita vix dici potest, quam varie illi differant, symptomatibus eorumque gradu. Qui bus differentiis id tribuendum esse puto, quod curationes Medicorum non facile concordent, sed quot autores, tot

tot fere methodi occurrant. Itaque necesse erit, ut bene distinguamus & sic bene quoque curemus. In hunc finem triplicem respectum in curatione habendum esse iudico : vel enim atrophia est primi & levioris gradus , ubi tamen febricula concurrit, symptomata autem rhachitica, stricte dicta, seu externi habitus deformatio nondum manifesta ; vel morbus altiores iam egit radices, & tam viscerum qualescunque corruptiones, quam partium externalium deformaciones, cum febre hec hinc dea habet coniunctas ; vel denique rhachitis stricte dicta est solitaria sine morbo interno sen viscerum labe.

## III.

Primo in casu fordes ventriculi & intestinorum per mediocre laxans educantur, & hoc vacuandi genus post quintum diem semper repetatur. *Indicata*, quibus huic indicationi fatis facimus, sunt sirupus de cichorio cum rhabarbaro & cum oxymele squillitico iunctus, item sirupus de spina infectoria, manna, sal Anglicanum, mercurius dulcis cum salibus mediis, magnopere hic laudandis. Reliquis diebus ad viarum chyliferarum obstructiones reserandas omnis nervus intendatur. Huius indicationis indicata sint resolventia & aperientia, non quidem calida, attamen penetrantia, e. g. salia media, modo commenda ta, tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, sal centaur. min. absinth. card. bened. & quoniam semper fere aliquid febrilis concurrit, cum his pulveribus salinis primo tempore nitrum depuratum, antimonium diaphoreticum & absorbens aliquod citratum misceri debent. Interdum autem loco pulveris adhibetur mixtura quædam, infantibus non ingrata, ex tinctura antimonii, salis tartari, liquore terra foliatæ tartari.

E 2

IV.

## IV.

Hæc remedia quando frequente repetitione exhibentur, morbus in hoc leviore gradu intra trium vel quatuor hebdomadarum spatiū ordinarie superatur, nec opus est, externa in subsidium vocare; convenit autem ad tonum roborandum martialia propinare, e. g. tinteturam martis aperitivam LVDOVICI, crocum martis teneriorem STAHLII, cum sale quodam medio combinatum. Recip. tartar. vitriolat. drachm. I. croc. mart. scrup. I. Misc. dos. VI-VIII-X. gran. Communum etiam est, quando infantes adhuc lactantur, nutribus laxantia & resolventia, eaque efficaciora exhibere, nempe extraqt. panchymag. CROLLII cum mercurio dulci, decocta ex rad. ari, cichor. chin. sarsaparil. pimpinell. alb. herb. capillar. arnic. veronic. heder. terrestr. Concurrente causa verminosa pulveribus tam laxantibus quam interdum resolventibus tuto & efficaciter mercurius dulcis immiscetur.

## V.

Quando autem morbus altioris gradus est, ubi viscera iam periclitantur & febris hebetica dea concurrit: laxantia debent esse mitissima & febrilia temperata propinari. e. g. tempore remissionis exhibetur mixtura ex essent. scord. vincetox. pimpinell. alb. astuante autem febre saepius porriganter ex sale medio, absorbente citrato & antimonio fixo. Præterea decoctum aliquod abstergens & temperate balsamicum, infantibus acceptum, propinetur ex rad. ari, cichor. heder. terrestr. veron. teucriifol. Externa simul coniungantur, nempe abdomini imponatur emplastr. de ammoniac.

niac. FORETI & emplastr. saponatum BARBETTE, quod egregie resolvit & alvum relaxat. Quid autem porro remediorum externorum contra deformationes rhachiticas adhiberi possit, sequente paragrapho indicabitur.

VI.

*Solitaria rhachitis*, quæ vel sine morbo interno exorta vel post eundem superatum relicta est, non nisi externa remedia & subsidia postulat: in hoc enim statu bene valent deformati. Conducunt autem *balnea nervina* ex herbis coronariis, inter quas serpillum principatum tenet. Hac occasione mentio facienda est tam *superstitionis* quam *prestigiarum*. Quem admodum accusatio *incantationis* in pluribus morbis passim auditur: sic etiam in rhachitide hanc incusari causam notissimum est. Vnde frequentius audire licet, das Kind ist berufen, über eine böse Stelle gebracht. Quæ aetiologya pauculum sublimior est illa, quam de infantibus suppositionis circumferre solent. Pleraque sunt superstitionis & tam credulitatibus quam præjudiciis involuta; non omnia autem ad superstitionis censem referenda: datur enim re vera morbi ex incantatione. Quare in casibus vere suspectis balnea ex herbis antimagicis, hystericis, sideritide, abrotano, antirrhino arvens. Stœchade citrin. conyzæ flor. violac. additis formicis parari possunt.

VII.

Magis autem excusandi sunt hac in re superstitionis, quam qui circulatoriis *prestigiis* ludunt, & ad auream praxin captandam credulos homines variis artificiis seducunt. Perhibent vulgo, eiusmodi infantes atrophicos influxui lunæ esse obnoxios, es seyen Mond-Kinder:

E 3

unde

unde corporis augmentum prius capere non possint, quam lunæ impressio per arcanum quoddam artificium superata fuerit. In hunc finem certis lunæ phasibus media nocte aquas, & quidem flumine adverso, trinis vicibus hauriunt, ac tum indusum atrophicci sudore madidum, eadem aqua lavant, & ad siccandum lunæ exponunt. Minime autem consultum est, in artibus hisce præstigiosis diutius immorari: quare ad alia externa præsidia progredior, cuivis iudicio relinquens, qua cautione balnea præsente morbo interno & hecticodea febre sint adhibenda.

## VIII.

*Spiritus nervini, & linimenta balsamica cum frictionibus læpius & diu applicata multum quoque valent ad partes corporis in debitum situm ac ordinem reducendas.* Sic etiam contactus manus mortua a quibusdam laudatur, iudicantibus, hoc remedium, quia scrofulas discutiat, multo magis glandularum infartus resoluturum esse. Præcipue autem in solitaria rhachitide commen-  
dari merentur artificiosæ illæ machinæ, quæ pedibus in-  
curvatis vario modo & variis inventionibus applican-  
tur. Quo etiam referenda sunt peculiares cataphra-  
ctæ, quibus vitia thoracis & scapularum ab ulteriore  
incremento impedire cupiunt.

## IX.

Tandem de congruente *dista* dicendum erit. Quo simplicior eo melior illa consenda est: modo alimenta sint mollia & euchiæ. Præcipue convenient decocta avenæ, hordei, iuscula leviter aromatifata, decoctum C.C. passulatum vel radice polypodii imprægnatum. Quando autem infantes adhuc fugunt, & lac nutricis

vitio-

vitiosum iudicatur, ad correctionem illius absorbentia cum salibus mediis, &c. si non adeo sensibilis sit nutrix, anticatarrhalia, essent. pimpinell. alb. succin. vincetox. propinari possunt. Quod ad potum attinet, non debet esse feculentus, neque noctu ieiuno ventriculum frigidus concedi, calidus autem e. g. infusum theiforme, quovis tempore conduit. Visitatum est, ut Medici in hoc morbo commendent potus generosos & pretiosos; qua commendatione haud obscure significant, cuius conditionis & stirpis sint plurimi rhachiticorum. Sic v. g. BOERHAVIVS conimendat vinum Gallicum rubrum, vinum HIPPOCRATICVM, mummam Brunsiensem, ale Britannorum, cerevisiam Batavam, duodecim florenorum pretio venalem. Certe si non essent ex numero divitum & honoratiorum, longe alia cerevisia, nempe secundaria, commendari deberet.

T A N T V M!

---

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO  
HERMAN. HENRIC. OVERBECK

FELICITATEM PRECATVR

PRÆSES.

A Rdum est, CLARISSIME CANDIDATE, quod dissertationis argumentum elegisti, & TV ipse testis es earum difficultatum, que in conscribenda hac materia TIBI occurrerunt. Bis enim eandem elaborare debuisti: quoniam

niam primum, quod mili offerbas, specimen ad eam perfectionem, quae  
votis nostris fatis fecisser, nondum scripta erat. Immo TV, de  
graviore disputationis continentia concitus, in malam minime par-  
tem sumfisi, quod alterum studi TVI exemplar lima quamunque  
praesequuntur sim. Interim TE non possebit laboris, quem bac  
quoque occasione sustulisti: specimen enim S documentum publicum  
est TVÆ habilitatis. Quam quoniam etiam in examinibus Ordini  
nostro probatum feceris: iure merito decrevit, ut lauro doctorali  
caput TVVM vinciretur. Gratulor TIBI hanc dignitatem, S  
ut Deus eamdem ad plurium agrotorum salutem vertat, etiam atque  
etiam precor. Vale. D. D. 26. Oct. 1739.


**G**S kann nicht anders seyn: wer sich dem Fleiß ergiebt,  
Der Weisheit Schäze sucht, die edlen Künste liebt;  
Der muß zuletzt dafür den höchsten Preis erjagen,  
Und einen Perlen-Cranz um seine Scheitel tragen,

Du kanst, gelehrter Freund, hieson ein Zeuge seyn:  
Du schentest keine Müh, Dein Fleiß war ungemein;  
Nun wll Hygeens Hand auch dankbar sich erzeigen,  
Und giebet Dir dafür den Doctor-Hut zu eigen,

So folgt auf Unlust lust; auf Unruh süße Ruh.  
Ich freue mich mit Dir, und wünsche Glück dazu;  
Nun kann das Vaterland von Deinen seltnen Gaben  
Die schönsten Proben sehn, den größten Vortheil haben.

Mit diesem wenigen wollte gegen den Herrn DOCTORAN.  
DVM, als seinen besonders werthgeschätzten Freund, seine  
schuldige Gratulation abschaffen.

**ABRAHAMVS ab HEIMBACH.**  
Med. Cult. Moeno - Francofurtensis.



Halle, Diss., 1739 (1)

ULB Halle  
003 254 070

3





